

DECRETUM UNIVERSITATIS.

Extractum è Commentariis Universitatis 4 Februarii 1741.

Scribendo affuerunt RECTOR, Decani, Procuratores, Tribunal Academicum, in *Laudunæo*, Pridie Nonas Februar. M. DCC. XLI.



QUÒD dixit Vir Clarissimus M. ELIAS COL-DE-VILARS, Saluberrimæ Medicorum Facultatis Decanus : In omni Corpore benè constituto fidam debere esse partium inter se societatem : Jura quæcumque, etsi uni alicui Membro peculiariter assignata, totius corporis esse Jura. Hinc Universitatem singulorum, ex quibus constat, Academicorum Ordinum peculiaria Privilegia, non secùs ac sua generalia & communia, semper defendisse ac vindicasse; hinc nominatim

præſto fuiſſe Saluberrimæ Facultati, quoties huic dimicandum fuit adversùs extraneos quoſdam & advenas, Medicorum Pariſienſium jura uſurpantes; ratam videlicet tam ſuâ, quam ipſius Saluberrimæ Facultatis, intereſſe, ut ab exercendâ Pariſiis medicinâ arcerentur, quos Ipſa non agnoſceret: nedum eo fuiſſe animo, ut ejuſmodi hominibus quidquam apud ſe loci aut exercitii eſſe pateretur. Ecce tamen dici certos quoſdam ex eo genere Medicos aliquibus in Collegiis, contrà Univerſitatis mentem Majorumque inſtituta, ab aliquot annis cœpiſſe adhiberi. Quod, ut Saluberrimæ Facultati, atque adeò toti Univerſitati, injurioſum eſſe, ita & adoleſcentibus, qui illic inſtituuntur, quandoque permoleſtum. Cum enim Præclara Artium Facultas, antiqui moris conſtanter retinens, non alia Medicorum teſtimonia, præterquam Pariſienſium, admittat, Scholares, qui, aut brevi aliquo morbo impediti nomina ſua in Catalogis dare non potuerunt, aut *habituali* aliquâ infirmitate laborantes Dictata à Magiſtris manu excipere non valent, atque adeò tenentur, factâ publicis in Comitiis Supplicatione, illi ſuam à Scholis abſentiam excuſare, hi à ſcribendo immunitatem petere, ſi fortè Medicis non-Academicis uſi ſunt, in anguſtiis maximis verſari; ipſis quippe aut emendicandas à Medicis Pariſienſibus, quibus non ſunt uſi, teſtificationes, quod minimè decet; aut (quod nefas cogitare) confingendas. Itaque Saluberrimam Facultatem, pro eo jure quod ipſi hac in parte competit, poſtulare, ut ejuſmodi abuſus Univerſitas quamprimùm autoritate ſuâ comprimat: DE EA RE, audito Clariſſimo Proſyndico, rogatis dictiſque ſententiis, habitâ ratione poſtulationis Saluberrimæ Facultatis, DECRETUM EST, Standum eſſe Majorum inſtitutis, & conſequenter ſub pœnis Academicis vetandos eſſe Gymnaſiarchas & Præfectos tùm Collegiorum, tùm Pædagogiorum quorumcumque, in quibus Scholares Academici aluntur & inſtituuntur, ne in ſuis Collegiis Pædagogiis-ve quemquam aſſumant in Medicum, ſi quem habent, Ordinarium, niſi qui ſit in Saluberrimâ Facultate Pariſienſi Doctor Medicus; atque omninò ne ad Scholarium Academicorum curationem ullos alios Medicos, præterquam Pariſienſes, aut eos quibuſcum

conſulere Pariſienſes conſueverunt, adhiberi patiantur. Et ità concluſit Ampliſſimus RECTOR.

N. PIAT, Scriba.

Hoc Decretum lectum, recognitum, & confirmatum fuit in Comitiis die quartâ menſis Martii, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo habitis; ac, ne quis ignorationis cauſam obtendere valeat, Placuit, illud typis imprimi & publicari.

N. PIAT, *Scriba.*



Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, 1741.